







1725-8.  
14

PROBLEMA  
IVRIS FEVDALIS  
DE

IVRE RELVENDI

PER GENERALEM CONSENSVM  
SIMVL TANE INVESTITI

IN ALIENATIONEM FEVDI EXTINGCTO  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

A VCTORITATE  
PRAESIDE

3 1/2

D. GEORGIO CHRISTIANO  
GEBAVERO

D. XXII. MARTII AN. MDCCXXV.

PUBLICAE DISQVIVISIONI SVBIICIT  
A VCTOR

GEORGIVS CHRISTOPHORVS PLAZ  
LIPSIENSIS

LIPSAE

LITERIS IMMANVELIS TITIL





PROBLEMA  
IURIS REVDALIS  
DE  
IURE RELEVANDI  
PER GENERALIUM CONSENSUM  
SIMULTANEE INVESTITI  
IN ALIATIONEM FENI EXTINGTO  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRESIDE  
D. GEORGIO CHRISTIANO  
GEBAUERO  
D. XXII MARTII AN. MDCCXX  
PABLICE DISQUISITIONI SVBICIT  
A N C T O R  
GEORGIVS CHRISTOPHORVS PLAZ  
LITENSIS  
LITENS  
LITENS IMMAYVELIS TITII








C. D.

I.



Um libido animum meum  
incederit, ut opinor, hone-  
fiffima, in quadam juris  
quaestione periclitari vires,  
quidque & commentando  
& in Cathedra defendendo  
mei valeant humeri, experi-  
ri, argumentum dissertatio-  
nis anxie indagandum non fuit, in tanta nobilium  
& illustrium quaestionum copia, quæ per univer-  
sum jus nostrum ubique, etiam invitis sese offerunt,  
& circa quæ erunt Doctorum Virorum dissensus,  
donec homines. Si quid initio me suspensum te-  
nuit, fuit, cura seligendi unam ex multis quaestio-  
nibus, qua leviter defunctus, (quid enim sollicitudi-  
ne opus fuit in re, quæ prorsus mei fuit arbitrii?)  
jucundæ scientiæ juris feudalis quaestionem, haud  
reor, ignobilem, feci meam, de qua non omnium  
una eademque est sententia; *An simultanee Inve-*  
stibus



*litus generali in alienationem consensu per reversales literas, Vasallo possidenti feudum datas, interposito, uti juri protimiseos, ita reluendi quoque renuciasse censendus sit; Digna adeo, quæ paulo accuratius expendatur. Cum vero sint in hac etiam quaestione & affirmantium & negantium cohortes, castra priorum sequemur, & affirmativam tuebimur sententiam, ita quidem, ut negantium prius rationes simus prolaturi in medium, inde etiam pro nostra opinione pondera subjuncturi.*

II.

Non deficiunt argumenta eos, quibus contrarium magis arridet, nempe simultanee investitum, qui, mediantibus reversalibus, in omnes futuras alienationes feudi generaliter consentit, juri protimiseos, non æque juri reluendi misisse nuntium. (Inter jus protimiseos & reluendi enim differentiam evidentem supponunt.) Primo equidem existimant, hanc esse pacificentium, & intervenientibus literis reversalibus, de generali in futuram alienationem consensu statuentium mentem, ut ob istum consensum, jam generaliter impetratum, non amplius liceat simultanee investito, vasallo feudum alienaturo nectere moras, & parere difficultates, si quando ere Vasalli videatur, feudum suum alienare; imo & venditorem Vasallum istiusmodi generali consensu munitum, ab evictione præstanda liberum esse, atque immunem, succedendi ordine



ordine ad simultanee investitum devoluto; emptorem etiam eodem generali consensu securum reddi, ne in eventum, quo alias feudum ad simultanee investitum juxta tenorem investituræ reversurum esset, illius ablationem patiatur, & revocatoria actionis incommodis subjiciatur, 2. f. 26. §. Titius filios verb. omnino removebitur, *Forg. Auschr. d. A. 1583. tit. welcher Gestalt die Agnaten §. setzen.*

III.

Porro iidem urgent, quemlibet simultanee investitum ob jus succedendi, quod in feudo acquisivit, cum jure prohibendi vel protimiseos 2. f. 9. §. porro. tum jure retractus vel relutionis gaudere; P. II. c. Elect. 32. §. wo aber. *Forg. Auschr. de A. 1583. 2. welcher gestalt die Agnaten §. so viel erstlich die Agnaten und Mitbelehnten, P. II. c. Elect. 48. §. da aber.* Quod primum concernat possessum impedire ne feudum alii vendatur, flagitareque, ut sibi pretium ab altero emptore oblatum indicetur. *L. f. C. de Fur. Emphyt.* Ad alterum quod attineat, hoc ipsi tribuere potestatem, feudum alii & venditum & traditum a possessore ejus, intra spatium unius anni, 2. f. 26. §. Titius. repetendi, si idem pretium solvere, easdemque conditiones adimplere paratus sit, 2. f. §. 9. porro, in quas alter ille emptor consensit. His ita distincte explicatis certissimum esse simultanee investitum, per consensum suum in alienatio-





nationem generalem priori suo juri alienationem per  
*πορῆμιν* impediendi equidem renunciaſſe, ne utiquam  
 tamen a facultate atque poteſtate feudum ab emtore  
 & poſſeſſore reluendi diſceſſiſſe, quod, qui jus retractus  
 exerceat, ideo venditoris contractum plane non im-  
 pugnet, imo vero illum ratihabeat. Eſſe jus ſimul-  
 taneae inveſtiti circa ejuſmodi contractum de feudo  
 initum ſingulare, quo uti poſſit, abſque ullius injuria  
*L. 13. §. 1. ff. d. injur.* & omnino injuriam omnem  
 abeſſe, cum intuitu venditoris, quod reluiturus  
 omnes emtionis venditionis leges, ut primis paci-  
 ſcentibus placuere, adimplet, cum reſpectu emtoris,  
 quem, ſoluto eodem pretio, idem proſuſ indemnem  
 praſtat.

IV.

Tertio loco accedere contendunt diſſentientes,  
 verum feudi pretium a ſimultaneae inveſtitis igno-  
 rari, qua ignorantia laborantes, ſi ſcriptis literis ge-  
 neraliter ſuum alienationi aſſenſum accommodant,  
 clariffime profiteri, placere ſibi ipſum alienandi  
 actum, pati poſſe, ut a poſſeſſore feudum in alium  
 titulo oneroſo transferatur, remittere ſe prohibenda  
 alienationis facultatem, de jure reluendi exercendo,  
 vel dimittendo nihil ſtatueri, nec ſtatueri poſſe,  
 pretio ignorato, adeoque in dubio nihil remiſiſ-  
 ſe. Quo enim modo, creditor, ſciens pignus ven-  
 di, jus pignoris non amittit, *L. 8. §. 15. ff. quib. mod.  
 pign.*



*pign. L. 15. C. d. distr. pign.* eodem etiam simultanee investitum, qui generaliter in alienationem feudi consensum suum præbet, gnarum esse, jus suum reluendi durare, facultate quidem emtionis venditionisque negotium, in quo Vasallus versatur, impediendi post interpositum consensum destitui, attamen, ubi conditiones expendit, quibus ille emtionis contractus nititur, ipsi adhuc liberum esse, intra annum mentem suam declarare, an feudum refuso pretio sibi habere, an vero emtori, neglecta relutione, relinquere malit; sapius enim svadere & persvadere simultanee investito vel affectum, quo erga emtorem venditoremve fertur singularem, vel pretii levitatem aut magnitudinem, de quo inter possessorem Vasallum & emtorem convenit, vel conditionum adjectarum qualitatem, ut jure protimiseos vel utatur, vel non utatur, hæc omnia ut rite expendantur, mora quadam opus esse, hinc providentissime legislatores annum utilem præfixisse relutione, hoc beneficio ut ne excidat simultanee investitus, necesse esse, nulla sua culpa prævia, quam saltem ex generali consensu, cujus alii sunt effectus supra memorati, elicere non liceat. Hæc dissentientes, ut diximus, tertio loco, & non sine specie, et ubi

V.

Præterea quoque pro corroboranda sua opinione negligentiam Vasalli possidentis adducunt, qui sibi



sibi melius prospicere potuisset ac debuisset, expressis verbis constringendo simultanee investitum, ne in casum futura alienationis reluendi Jure uti velit. Hoc neglecto, inquit, sub consensu generali non esse intelligendum id, quod consensum petenti, verosimiliter concedens non fuisset largitus, & vix posse concipi, quod de jure reluendi simultanee investitus cogitaverit, sine exacta notitia necessariorum circumstantiarum, præcipue veri pretii, & sine prævia multa & justa deliberatione & ponderatione, quid e re sua eo casu sit futurum, nec ne. Adjiciunt, eum, qui generalem consensum interposuit, pro alienante non esse reputandum, ut ideo suo facto contravenire nequeat, neque enim, ut venditorem, ad evictionem præstandam obligatum esse. Nec sane, si rem penitus inspiciamus, contractum emtionis venditionis, ab eo, qui Jus protimiseos justo modo exercet, convelli ulla ratione, tolli, aut rescindi, sed substitui tantum emtorem alium in locum prioris, adeoque emtionem venditionem ipsam suo adhuc consistere talo, quamvis intuitu emtoris haud irrevocabiliter, sed ita, ut simultanee investito, ut sæpius dictum, liceat fundum feudalem pro lubitu reluere, quod consensus in alienationem generaliter interpositus strictissimam omnino exigat interpretationem.

.V

VI

Prodit aliud Argumentum, omne illud negotium,



tium, quo vasallo possessori cum simultanee investito de alienatione futura convenit, ipsos etiam paciscentes unice spectare atque concernere, ad tertium vero, qui emtor est, nihil pertinere, ut adeo nec venditor conqueri possit, pacto non stari, subsistere enim alienationem, nec emtor possit excipere, contra pacta feudum sibi eripi, cum ejus rei in pacto illo & consensu interposito nulla mentio fiat.

VII.

Ad simultaneam etiam investituram provocant suo omnino effectu non defraudandam, utpote, quæ in jure quodam in re consistat, per investituræ actum, in simultanee investitum translato, quò non obstante, si in alienationem consentiat simultanee investitus, tolli, expirare simultaneam investituram, (*die Lehn werde gebrochen*), adeoque & cessare actionem revocatoriam, quæ suo loco & ordine alias competiisset, non cessare alium investituræ simultaneæ effectum, jus protimiseos sive reuendi, cum alias manifesti juris sit, juri vel favori unì, qui renunciat, alteri aut omnibus renunciassè non videri. Si denique autoritatibus res hic gerenda esset, non quoque defuturi erant, Doctores magni nominis, ROSENTHALIVS de feudis, CHRISTIANAEVS, alique, quorum testimonia ab altera parte stantes quoque urgere solent.

B

VIII.



VIII.

Bona fide, ut opinor, congeffi ea, quæ pro  
negantium sententia dicta sunt, aut dici poterant;  
nunc & affirmantium, *extinctum nempe esse jus re-  
luendi per generalem in alienationem Feudi consen-  
sum*, rationes explanabimus, quas mihi videri præ-  
gnantes magis, jam initio professus sum.

IX.

Primum est, ut mentem ita de consensu in  
alienationem generali pacifcentium sedulo investi-  
gemus, ubi ipsa rei natura & causa, quæ literarum  
reversalium autores ad ejusmodi negotium ineun-  
dum impulit, manu nos ducet. Satis autem con-  
stat, hunc fuisse, consensum simultanee investiti ad  
quascunque alienationes exigentis Vasalli animum,  
ut si vasallus quidem simultanee investitum sponte  
ad simultaneam investituram admittat, nulla tamen  
alia sub conditione hoc fiat, nulloque alio sub  
modo, quam ut omnis omnino facultas, cum feudo  
pro lubitu agendi, penes Vasallum remaneat, nul-  
lis limitibus circumscripta, nulla simultanee in-  
vestiti contradictione infringenda, & eo nomine,  
tum ipse Vasallus tum successores ejus, etiam singula-  
res, quorum numero imprimis emtores complecti-  
mur, securitate sua gaudeant. Utilitatis adeo summa  
visum est, reversalibus ejusmodi literis, omnibus  
istis incommodis statim initio ire obviam, ne Va-  
sallus demum, quando casus existit, opus habeat  
specia-



specialem simultanee investiti consensum emendicare. Scilicet, antiquorum temporum injuria cautiorem reddidit nostram aetatem; in more positum fuit majoribus nostris, simultanee investiti requirere consensum ad alienationem specialem, eo demum casu, quo Vasallo fuit utile aut necesse fundum alienare, forte, quod futurorum incuriosi de alienatione non cogitabant, aut credebant eadem facilitate, qua simultanee investitum nihil tale merentem aut nullo jure perfecto tale quid a Vasallo petere valentem sibi junxerunt, simultanee etiam investitum, urgentibus circumstantiis, jus suum dimissurum esse; sed tristes docuit experientia, facilem esse beneficiorum oblivionem, & quacunque honestatis vincula, de meo & tuo controversiis, quotidie abrumpi, neclere moras eo in casu simultanee investitos, & non nisi invitos & duris conditionibus cum Vasallo transigere. His incommodis obicem posituri litteras istas reversales exegerunt a simultanee investitis, certo certius ea mente ut omnia, qua specialis consensus sunt, uno eoque generali consensu comprehendantur. Jam vero uti nemo sine Vasalli consensu, praecipue in feudo novo, ad simultaneam admittitur investituram, ita ante omnia dispiciendum est, an ille consensus sit purus an cum restrictione datus, quod posterius si accidit statim initio apparebit, neque investituram simultaneam perfectam & plenissimam, neque jus protimiseos, quod magis ex consuetudine oritur, simultanee investito contigisse, frustra adeoque quaeri, an jur

B 2  
nunquam



nunquam acquisito renunciaverit, nec ne, cum; rebus sic stantibus, Vasallus liberrimam facultatem de feudo disponendi, illudque alienandi sibi reservaverit retinueritque.

X.

Hoc jus liberæ facultatis de Feudo disponendi illudque alienandi, de quo sibi tanta cura Vasallus prospicere voluit, mirum in modum dissentientium doctrina infirmatur, quam si sequamur, nunquam non timendum est Vasallo, contractum emtionis venditionis modis, quibus quam firmissime potest, initum, atque vallatum, rescissioni tamen atque immutationi fore obnoxium, emtori fundum posse eripi, emtorem alium Vasallo, præter ejus opinionem atque voluntatem, posse obrudi. Omne enim simultaneæ investituræ inhærens jus protimiseos, ut negari nullo modo potest, onus est gravissimum: possessor venditurus emtores rarius invenit, in cujus adeo caput omnia ista incommoda, specie prima tantum emtores prementia, si paulo accuratius rem pensites, recidunt, est itaque jus non legibus, sed facto pactoque hominum introductum, non immerito tanquam odiosum omni modo restringendum, emtori omnino perquam molestum & damnosum, si pecunias suas, quas multa adhibita opera ex manibus debitorum, feudum emendi habendique causa, collegerat, recipere, absque fructu domi servare, aut ut iterum in tuto collocentur, multas curas & molestias devorare tenetur.

XI.



Sub enim iustitiam iustitiam XII. §. 1. §. 1. §. 1.  
 Nunc ipsam emtionis venditionis naturam & indolem ponderemus, in qua translatio in alium ideo fit, quo ipsi rem habere liceat, eoque nomine plane tutus & securus fit. Quod si simultanee investitus in reversalibus literis vasallo liberam facultatem concedit feudum pro lubitu alienandi, sponte sua inde fluit, ipsum quoque concedere facultatem & potestatem ita rem agendi, ut uterque contrahentium, & emtor & venditor, securus sit, illique rem habere liceat, quia omnis consensus secundum naturam actus illius, cui accedit, intelligendus est merito & accipiendus. Nihil naturæ magis est contrarium, quam scienter volenter frustraneum actum suscipere, nihil bonæ fidei magis adversum quam eludere eos, quorum interest, quod certe fieret, si ad alienationem quidem consensus præberetur, post subsecutam autem alienationem illa continuo revocaretur, si altera manu eripias, quod altera modo largitus sis, quod certe non sine manifesta læsione bonæ fidei, qua contractus emtionis venditionis maxime suffulcitur, & in qua emtor, omnem suam fiduciam collocavit, fieri potest, si rem eo redigas, ut ei, qui, vi hujus consensus, fundum emit, rem habere minime liceat. Videtur esse contradictio in adjecto fortissima, nimirum alienationem fundi per consensum in eam generalem permitti, ut ita feudum in alium transferatur, jus protimiseos autem exigere, feudum in alium non transferri. Neutiquam



riquam ergò inter se conciliari possunt hæc duo, actum vi consensus in reversalibus litteris expressi pro valido habendum esse, at confessum, mediante exercitio juris protimiseos, ejus validitatem iterum tolli & eludi posse. Negandum potius non est, eum qui in actum quendam consentit, id tali credi fecisse animo modoque, quopotest fieri optime & firmissime, probatissimorumque Jctorum opinionem extendere, si in alienationem consentiatur, id, cum in favorem vendentis, tum eementis fieri, in quem consentiens jus suum, quantum quantum illud est, transfuisse videtur. HARTM. PISTOR. *L. II. qu. 7. n. 32.*

XII.

Ex eo porro stabilitur opinio nostra, quod nemo dubitet, quando simultanee investitus in inchoatam vel perfectam alienationem feudi specialiter consentit, etsi juri protimiseos non simul renunciat, imo ejus Privilegii ne quidem mentionem facit, quod isto protimiseos seu reluendi Jure, ob istum unice consensum interpositum, amplius uti nequeat. Qui ergo fit ut in consensu generali illud locum non obtineat, cum omnis consensus eadem sit natura, neque ulla offerat sese ratio, cur specialis generali dici debeat efficacior; Cum tamen renunciatio generalis extendatur ad futura, quæ habent causam præsentis, conf. HARTM. PISTOR. *L. II. Qu. XII. §. 53.* nullaque lege distinguente, nulli consensui præ altero major minorve vis tribuenda sit & pondus. Quilibet



Quilibet consensus, etiam generalis, ea natura gaudet, ut vim suam non saepius una vice, & in prima alienatione exerat, (qui enim semel rite alienatum, iterum ab eodem possessore alienari possit?) & simultaneam investituram, casu emergente, frangat. Non potest adeo esse alia natura surrogati, quam eius rei, cui surrogatum est, generalis consensus quam specialis. Omnes alienationes sunt speciales, nec cuiuspiam generalis alienationis, ad quam forte generalem consensum restringere luberet dissentientibus, vel confingendo idea produci in mente potest; necessario itaque asserendum videtur, generalem illum consensum initio interpositum plane esse frustraneum, & dicis causa celebratum, imo esse impedimento & iis, quorum interest, nocivum, aut primo sese offerente casu alienationis specialis vim suam exerere, eo prorsus modo, quo specialis consensus, si interpositus esset, vim suam exeruisset.

XIII.

Nemo etiam negabit, etsi simultanee investitus in reversalibus suis literis non statim, & quasi in presenti in omnes alienationes consensit, nec id insequentibus verbis usus est, promisit tamen casu olim obveniente, se consensurum & alienationem ratam habiturum, ad satisfaciendum promisso, praestandumque factum simpliciter teneri, & ad consensum alienationi quocunque tempore celebranda adiaciendum



ciendum obligari, ita ut in simultanee investiti contumaciam consensus pro praestito habeatur, & ita pronuncietur. Itaque cum talis ex generali obligatione oriundus specialis consensus, in omnibus consentientibus jus protimiseos excludat, difficile est conjicere, cur reversales litteræ, in quibus simultanee investitus in omnem alienationem statim, ac veluti in re praesenti, se consentire professus est, non eodem jure & efficacia, aut etiam majori gaudere debeant. Omni enim dubitatione vacat, simultanee investitum, qui in hunc aliumve actum alienationis specialiter consentit, excipientem, se de jure protimiseos non cogitasse, nunquam esse audiendum. Cur ergo inter eum, qui generaliter & eum, qui specialiter consentit, tantum intercedet discrimen, cum is, qui in genere ad ejusmodi consensum sese obligat, eodem vinculo obligationis erga Vasallum possidentem teneatur, quo alter in specie consentiens, & cur hic illo lautioris meliorisve conditionis judicabitur? ut taceam, non facile posse concipi simultanee investitum suorum privilegiorum juriumque adeo ignarum vel negligentem, ut de protimiseos jure in alienationem consentiens nihil cogitaverit vel monuerit.

XIV.

Non raro etiam accidere solet, ut in reversalibus literis simultanee investorum, successioni in feudum pro certa pecunia summa renunciatur, qua solu-



soluta, siue consenserint, siue non consenserint in alienationem, nullo tamen modo eam revocare possunt. Conditione enim ab altera parte adimpleta, redemptum est Jus, quod alioquin simultanee investito compete-  
 bat. Quia autem porro Possessor feudum sine consensu aut generali aut speciali simultanee investorum alienans, ideo feudo non excidit, neque emtionis venditionis actus, cum non sit ullibi prohibitus, aut in se illicitus, *Const. Elect. 48. p. 2.* invalidus redditur, sed simultanee investito, qui neque in genere neque in specie consensit, nihil quam jus protimiseos relinquatur, necessario inde sequitur, si generalem quandam consensum superaddidit, non posse dici, eo nihil aliud actum, quam ut alienatio in se approbetur, qua approbatione, uti jam monitum, non opus erat. Ergo, nisi ille consensus prorsus pro otioso & frustraneo haberi debet, alium finem idem agnoscat necesse est, qui erit cura Vasalli, ut in securitatem emtoris, cujus omnino interest, ne possessio feudi emti & traditi amplius sit in incerto, jus protimiseos extingatur.

XV.

Quod si generalis consensus hac ratione in liberam alienationem non sufficeret, sed ad futurum actum peculiari opus esset consensu, certe sequeretur, si Vasallus testari de feudo vel illud permutare aut donare, vel aliud ejusmodi negocium celebrare vellet, hoc simultanee investito esse indicandum, & ei  
 C prius



prius, ut observet, quid e re sua videri queat, communicandum, quo gradu facile eo descendi posset, ut, neglecto generali consensu, libertati simultanee investorum relinqueretur, fundum vi illius consensus, & quod olim ipsi generaliter consenserint, alienatum, delata ad simultanee investitos successione, quibus nempe casibus, deficiente simultanee investorum consensu, actio revocatoria locum invenit, simpliciter & absque ulla pretii restitutione ab emtore & possessore revocare, sibi que vindicare, quia utraque repetitio, & quæ refuso pretio fit, & quæ absque pretii restitutione simultanee investitis aliquando competit, nomine actionis revocatoria veniunt, ut præcipue ex Torgaviensi Ordinatione, rubric: **welchergestalt die Agnaten**, videre est. Ex paritate autem rationum, facile talia invenientur argumenta; quibus evinci posset, illud, quod in altera specie revocatoria justum est, in altera injustum esse non posse, præcipue si assertum; justam venditionem etiam adhibito consensu factam consistere, sed non nisi revocabiliter; ore hominum magis frequentari, & pedetentim quodammodo prorogari & latius extendi inciperet.

XVI.

Contra nullum dubium est, cujusvis, qui a simultanee investito reversales litteras initio exigit & accipit, multum interesse, ut ipse emtorque ab omni actione petitioneque, cujuscunque demum nominis



minis illa sit, liberetur, & venditor, non solum quoad  
 evictionem, sed & quoad omnes alias querelas,  
 quod emptorem ad emtionem revera inanem incun-  
 dam pellexisset, securus esse possit, cui adeo ista di-  
 stinctione & subtilitate parum prospectum erit, si  
 simultanee investitus urgeat, se equidem emtionis  
 venditionis contractum non impugnare, venditorem  
 quoque pecuniam non minus a se, quam ab emto-  
 re, accipere, cum nemo facile aut lubenter hoc sibi  
 imponi patiatur, ut ab eo, cum quo ex certis & pe-  
 culiaribus causis ab initio contraxit, & cujus condi-  
 tionem probe novit, discedat, & novum emptorem  
 in prioris locum invitus suscipiat. Unde & illud  
 non adeo firmum videtur esse argumentum, quod  
 simultanee investitus, cum reversales literas conscri-  
 beret, verum feudi pretium ignoraverit, quia, sub  
 hoc pretextu, facile omnes, in quas consensum fuit,  
 dispositiones tam inter vivos quam mortis causa,  
 adeoque non emtio solum, ob generalem consen-  
 sum, pro invalidis & instabilibus possent venditari,  
 cum tamen in utroque, is, qui in rem ipsam, tan-  
 quam principale & futurum, consensit, in pretium  
 simul aliasque conditiones contractus tanquam ac-  
 cessorium consensisse, sub majori minus comprehen-  
 disse videatur; si hæc non fuit sententia, habebit  
 quod sibi imputet, quod in ejusmodi generali & sine  
 ulla exceptione interposito consensu jus protimiseos  
 sibi expressis verbis non reservavit, nec casum alie-  
 nationis expectavit, (vigilantibus enim & hic jura  
 scripta





scripta sunt) maluerit potius cum iniquitate summa eum, cujus liberalitate ad simultaneam investituram admissus est, celata hac sua intentione, variis subicere incommodis. Neque juvabit simultanee investitum exceptio, literas reversales, tanquam rem inter venditorem & simultanee investitum actam, emtori, tanquam tertio, nullum jus tribuere, cum natura emtionis & venditionis in eo consistat, ut cum tertio illud peragatur, & emtor concurrat, datus autem in actum alienationis consensus ad emtorem eo magis pertinet, quod hic in locum venditoris succedat. Quis negaverit, promissionem in gratiam tertii factam, huic, si ea uti velit, etiam ex alieno documento jus tribuere, cum ejusmodi tertius possessor, eveniente successionis casu, ad excludendam actionem revocatoriam sine refusione pretii, vi consensus generalis, eo fruatur, & quis porro negaverit, promissionis illius tertio factæ, eandem esse vim in altero illo jure reluendi, contra eum, qui reddito pretio, revocatoriam ex eodem principio instituire nititur, postquam simultanee investitus ei juri, quod ipsi alioquin, sine ejusmodi pacto, vi simultanee investituræ, competebar, renunciavit. Nostri temporibus nihil est insoliti, simultanee investito, accedentibus reversalibus, vix quicquam præter nudum nomen superesse, & feudum in eorum utilitatem, qui alias ad id inhabiles sunt, retineri, ut adeo jura alias ipsi competentia, sive in jure reali consistant sive non, instar juris protimiseos etiam hypotheca muniti



muniti, postquam in alienationem consensum, penitus cessent. Sane, quod ab ipsis dissentientibus conceditur, intuitu consensus generalis in venditionem feudum in casum successionis non posse revocari, ideo quod venditione facta simultanea investitura vis tollatur, merito ad casum exercitii juris protimiseos applicatur, quia, ob præviam alienationem simultanea investitura pariter pro sublata & fracta habenda est, fracta autem simultanea investitura omni ulteriori effectu destituitur, neque eadem ex parte pro fracta & ex parte pro integra æstimanda est. Potius, cum ejusmodi consensus generalis, in casu successionis, tam emtori quam venditori contra revocatoriam absque pretii refusione opem fert, deficiunt causæ, cur in revocatoria, refuso pretio non idem juris obtineri possit; hac adeo ratione nihil largimur eorum sententiæ, qui existimant simultanee investitum, qui reversales dedit, juri protimiseos non renunciaffe, sed illud inviolatum sibi servasse, licet consensum in alienationem eo ipso interposuerit, quia neutiquam hæc sunt, diversa, sed subordinata jura; quo constat eum, qui in genere in alienationem consentit, neque jus protimiseos simul comprehensum, neque aliud quid, quod impedimento esse posset, alienationi jure objicere.

§. XVII.

Eadem nostra sententia textu 2. f. 26. §. Titius. confirmatur, in quo *consentiens agnatus, omnino*  
 C 3 *remo-*



*removendus* censetur, cui jungi meretur, alius 2.f.48. Ubi vi generalis ejusmodi concessionis alienatio promiscue, in quemlibet, non requisito alio specia-  
 liorique consensu fieri permittitur, & imprimis tertius; cui illud venditur & traditur omnimodo securus esse jubetur: *Si quis eâ lege alicui feudum dederit, ut ipse & sui heredes, & cui ipse dederit habeant, respondeo: isle qui sic accepit poterit id vendere, vel donare vel aliter, si sibi placuerit, etiam sine voluntate domini, alienare & ille etiam cui datum fuerit, non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est.*

§. XVIII.

Neque omnino desunt, celeberrimi feudalis Juris Doctores, qui eandem nobiscum sententiam fovent & amplectuntur. SCHRADERUS *d. Feud. Part. 8. c. 4. n. 29. seq.* qui domino in alienationem consentienti & protimilim negat, rationibus ejusmodi, quæ facile ad simultanee investitum applicari possunt. HARTM. PISTOR. *L. 2. qu. 12. n. 49. 56. 57. item L. 2. qu. 7. n. 32. 36. 37.* qui alios plures allegat JCTos, imo ad istum textum: *Titius idem omnes tenere interpretes asserit, ipse etiam ROSENTHALIVS* passim, uti, *c. 9. concl. 33. n. 4. concl. 77. n. 2. 3. concl. 80. n. 17.* principia tradit ejusmodi, quæ nostræ sententiæ facile roboris, atque fundamenti loco esse possunt



possunt: Hujus auctoritate nititur CHRISTINAEVS, quamvis iis in locis, quæ pro adversa sententia adduci solent, *c. 9. concl. 86. n. 4. concl. 91. n. 4.* cum imprimis de domini consensu, tum de agnatis agatur, qui nondum consenserunt, & a quibus consensus demum requiritur, an hi per suam præsentiam, intermissam contradictionem, & non usum juris prohibendi, cum neutri juri renunciaverint, jure retractus uti possint, an potius tacitus inde consensus colligendus sit; Et quanquam Illustris BERGERVS, *ad ord. Proc. tit. 40. obs. 4. n. 6.* paucis verbis, & aliud veluti agendo, nulla addita ratione statuatur, consensu etiam speciatim interposito, retractum non extinguere debere, patet tamen aliud ex iis, quæ eodem Volumine p. 1807. fuse pro nostra sententia disserit, a qua sententia, tantum abest, ut in supplementis discedat, ut potius eam *part. 1. pag. 426. & part. 2. p. 759.* pluribus Jctorum, & Lipsiensium & Wittebergensium responsis & pronunciatis firmet.

XIX.

Maxime autem considerandum esse existimo, quod per *Const. Elector. 45. p. 2.* hæc quæstio in his regionibus jam decisa sit, ut ex §. *ult.* laudatæ constitutionis clarissime videre est; Wenn jemand sein Lehn-Guth, daran ein anderer die gesammte Hand hat, verkauffet, soll durch solche alienation die gesammte Hand nicht gebrochen seyn, es hätte denn,



denn, der so sie hat, in solche Veränderung, Kraft eines vorhergehenden Pacts, Verschreibung, Revers oder sonst hernach gewilliget. Ex his enim verbis satis apparet, simultanea investitura jura per alienationem tolli & infringi, etiamsi simultanee investitus per præcedentes reversales in eam consensit; prona nunc illatione sequitur, cum permilla, per talem consensum, & subsequuta alienatione simultanea investitura fracta & extincta habeatur, hanc ut rem emortuam, omni vi ac efficacia destitui, simulque Jus protimiseos alias competens expirasse. Ipsum equidem textum nostrum, dubium reddere conati sunt nonnulli, statuentes, post verba **oder sonst** adjiciendum comma hoc sensu: **Es hätte denn, der so sie hat, in solche Veränderung hernach gewilliget Kraft eines vorhergehenden Pacts, Verschreibung, Revers oder sonst, zc.** Merito autem huic interpretationi opponitur, quod sufficiat, mentionem fieri præcedentis consensus, & eo nomine scriptarum literarum reversalium, & quod facta vi harum alienatione, investitura simultaneæ jura pro fractis & abolutis haberi debeant, quorum verborum naturalis & commodus sensus per illud verbum **hernach** alia interpretatione sulciendum interverti nequit, quod ideo in latina quoque versione penitus abesse deprehendimus: *Nisi ejus consensu ex præcedente pacto vel aliter interveniente alienatio facta sit.*  
 Germa-



Germanico autem textui illud verbulum forte tanquam superfluum insertum est, aut verbulo: **Oder** alternativa vis tribuenda; frangi & tolli simultaneam investituram, si alienatio contingat, cum consensu vel precedente *vel* alio subsequente. **Dasß die Mitbelehnschaft durch eine Alienation gebrochen werde, wenn der Mitbelehnte entweder in einen vorhergehenden Reverse Oder sonst hernach darein gewilliget,** quanquam etiam in omnem eventum, si dissentientium interpretatio aliquam speciem recti præ se ferre videretur, aliter non posset capi quam de eo casu, quo simultanee investitus in literis reversalibus alienationem longo intervallo præcedentibus (**in dem vorhergehenden Revers**) sponndit, se casu alienationis *postea* existente aut imminente (**hernach**) in alienationem consensurum, quod ipsum ad unum idemque redit. Hanc, quam nos sequimur sententiam, esse constitutionis mentem, loquuntur ipsa verba textus, & HARTM. PISTORIS autoritas, hac in re sane gravissima, qui cum fuerit inter celebres Jctos, qui istis constitutionibus Augusteis postea declarandis adhibiti sunt, haud postremus, sensum Serenissimi quam optime novisse, & quam certissime tradidisse cuilibet a partium studio alieno videbitur.

XX.

Tandem ut merito sunt ipsa rerum argumenta non exigui ponderis, ita non possumus non in

D

fine



fine nostri laboris, disceptationis in foro, haud ita  
 pridem ventilatae injicere mentionem, quo ipso hac  
 tria una quasi fidelia dealbabimus, 1) esse hanc qua-  
 sitionem ab usu fori haud remotam, 2) Jctos non-  
 dum desuisse circa eam dissentire, 3) esse denique  
 summi principis voluntati conformem hanc sen-  
 tentiam. Simultanee investita C. S. v. M.  
 Reversales dederat Vasallo Possessori J. F. v. S. daß  
 sie dem von S. Macht und Gewalt gebe frey  
 und ungehindert, tam inter vivos quam mor-  
 tis causa, zu disponiren &c. das Guth nach  
 Gefallen zu permuciren, zu doniren, zu ver-  
 testiren, zu legiren, zu fideicommitiren, und  
 quovis modo zu veralieniren; Gestalt sie hierz  
 durch und in Krafft dieses vor sich und  
 ihre Erben zu allen das Guth angehenden  
 Handlungen, Berypfandung und *Alienatio-*  
 nen, ihren willigen *Consens* ertheile, und wenn  
 der *Successions*-Fall an sie und ihre Erben gelang-  
 gete, und er und seine Nachkommen darüber  
 per Testamentum vel alio modo nicht disponiret,  
 sich der Aperur in keine Wege anzumaßen, son-  
 dern die Güther seinen heredibus ab intestato wil-  
 lig zu überlassen, und daraus nichts, ausser  
 die hiemit bewilligte Discretion von 2000. Rthl.  
 zu prærendiren habe. Feudo isto deinde, E. F. M. ven-  
 dito, simultanee investita, posthabitis his reversali-  
 bus,



bus, ad jus protimiseos convolabat. Postquam legitime a partibus in iure disceptatum erat, sententia a Jctis Wittebergensibus lata Jus protimiseos simultanee investita fuit negatum, causa per leute-rationis remedium ad Jctos Lipsienses delata, idem illud jus ipsi omnino comperere fuit pronunciatum; cui sententiae cum altera pars stare nollet, a Scabinis Lipsiensibus Wittebergensium sententia fuit confirmata. Non poterat non, in istis sententiarum divortiis ad Potentissimum Regem provocare simultanee investita. Qui humillima ad ipsum facta relatione ponderatis omnibus argumentis praecipue *Consl. 45. p. 2.* sensu rite examinato, hanc avtheticam interposuit interpretationem, *zc.* Nachdem wir nun die Rationes einer und der andern Opinion reifflich erwogen, und diejenige daß der Mitbelehnte, so einmahl das Lehn-Guth zu veräußern in einen von sich gestellten *Revers* obgleich *generaliter* verwilliget, sich des Vorkauffes ferner nicht zu erfreuen habe, vor die erheblichste befinden, als lassen wir uns dieselbe, und daß ein solcher des Vorkauffes sich weiter nicht zu erfreuen habe, gefallen, *zc.* Dresden den 6. Octobr. 1719. Quam avtheticam normam  
 supre-



Supremæ appellationum instantiæ Consilarii secuti,  
*Simultaneæ investitæ Jus reluendi negandum esse de-*  
creverunt. Habes, benevole Lector, quæ de hac quæ-  
stione commentari libuit & licuit, & quæ, si alia  
desunt, veritatis & brevitatis studio se tibi  
commendabunt.

F I N I S.





Leipz., Diss., 1725 A-0

ULB Halle

005 359 309

3











1725,8.  
14

PROBLEMA  
IVRIS FEVDALIS  
DE  
IVRE RELVENDI  
PER GENERALEM CONSENSVM  
SIMVLTANEE INVESTITI  
IN ALIENATIONEM FEVDI EXTINCTO  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
D. GEORGIO CHRISTIANO  
GEBAVERO  
D. XXII. MARTII AN. MDCCXXV.  
PVLICAE DISQVIVISIONI SVBIICIT  
AVCTOR  
GEORGIVS CHRISTOPHORVS PLAZ  
LIPSIENSIS

LIPSAE  
LITERIS IMMANVELIS TITII.

